

noctis, et diei conservari, sine qua non posset mundus iste inferior regi. Post diem autem iudicii manifestabitur ejus gloria, et replebitur illa totum universum, tamquam cœlum novum, et terra nova, ut dicitur Apocalypsis XXI.

XXI. An vero hoc cœlum nunc influat aliquid in hæc inferiora, cum careat motu, respondetur secundum Div. Thomam art. III ad II, licet sit probabile quod hoc cœlum non influat in hæc inferiora quia totum quod est pertineret ad statum gloriæ: probabilius tamen est influere, sicut etiam Angeli, licet sint gloriosi, plura tamen influunt, et operantur in hoc mundo: ita cœlum illud licet non moveatur, influit tamen in corpora mobilia aliquid pertinens ad permanentiam, et virtutem conservandi, et continendi res inferiores, ut scilicet species rerum, et status iste duret: aut aliquas etiam occultas qualitates influere potest, quæ ad majorem dignitatem illius cœli pertineant.

TEMPUS FUIT CONCREATUM MATERIE INFORMI.

XXII. Supposito quod corpora sunt creata informia, et per aliquam durationem manebant in sua informitate, ita quod per veros, et naturales dies formabantur, et perficiebantur a Deo, oportet dicere quod tempus, seu duratio successiva istorum corporum cum ipsis incæpit, ita quod cum dicitur: *In principio creavit Deus*, id in principio idem est quod in principio temporis. Unde definitur in cap. Firmiter de summa Trinitate: « Quod Deus in initio temporis utramque condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam et mundanam. » Itaque illud primum instans creationis fuit principium temporis extrinsecum, quia

tempus cum sit res successiva non incipit in instanti intrinseco, sed immediate post, et secundum hoc etiam tunc fuit aliquis motus, vel in ipso cœlo, vel in alio corpore, quia tempus sine motu dari non potest, cum sit numerus motus secundum prius, et posterius. Sed hunc motum, et tempus Augustinus accipit secundum successionem conceptuum, et affectionum in mente angelica. Alii autem sancti probabilius id accipiunt secundum motum corporalem, quia illi dies fuerunt veri, et naturales, ut dicemus quæstione LXXIV.

XXIII. Ex his sequitur verum esse commune dictum, quod quatuor sunt cœva, id est, simul creata in eadem duratione, scilicet natura angelica, cœlum empyreum, materia corporalis informis informitate accidentali, id est, sine formositate, et ornatu; et denique tempus. Et nomine temporis etiam motus intelligitur, quia tempus est mensura motus et in se motus quidem est alios mensurans.

XXIV. Ultimo inquires, quomodo dicatur spiritum Domini delatum fuisse super aquas, quid sit ille spiritus, et illa delatio. Sed de hoc commodius dicetur infra quæstione LXXIV, ubi id tractatur a Div. Thoma, pertinet enim hoc ad circumstantiam quamdam illius informitatis non ad ejus substantiam.

QUÆSTIO LXVII.

DE OPERE DISTINCTIONIS SECUNDUM SE, QUÆ INCÆPIT PRIMA DIE.

TEXTUS.

Dixitque Deus: Fiat lux, et facta est lux, et vidit Deus lucem, quod es-

set bona. Et divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. Duo principaliter in hac quæstione tractat D. Thomas. Primum, circa naturam lucis quid sit. Deinde, de ipsa productione lucis, quomodo convenienter facta sit post informitatem tenebrarum. Circa naturam lucis duo excludit Div. Thomas a luce, et alterum affirmat. Excludit ab illa, quod sit entitas spiritualis, et quod sit substantia corporalis: affirmat autem quod sit qualitas quædam visibilis, et corporea.

II. Rationem spiritualitatis excludit Div. Thomas a luce, quia lux percipitur sensu visus, ut constat ipsa experientia, et propriissime nominamus lucem illam, quam oculis externis percipimus. Visus autem est sensus corporeus, nec dicitur de intellectu nisi æquivoce, ergo lux, quam percipit, et est ejus objectum, non potest esse aliquid spirituale. Quare sicut visus proprie dicitur sensus iste externus oculorum, non autem intellectus nisi metaphorice, ita lux proprie dicitur aliquid visibile corporale, non autem id quod spirituale est. Quia tamen officium lucis est manifestare, tractum est nomen lucis ad omnem manifestationem etiam spiritualem licet proprie, et directe significet manifestationem sensibilem, qualis fit in visu corporeo.

III. Ratio autem corporis, seu corporalis substantiæ excluditur a luce, tum quia est in eodem loco cum corpore diaphano, est enim lux intra diaphanum, videmus, enim quod transit per vitrum, vel crystallum, et tamen non dividit illud nec potest naturaliter penetrari cum illo, ergo lux non est corpus. Nec dici

potest quod est corpus carens quantitate; quia omne corpus petit quantitatem tamquam propriam passionem si sit corpus naturale, et quale experimur in omnibus aliis corporibus. Si autem sit corpus non naturale, sed alterius rationis, hoc sine fundamento dicitur, et sic rejicitur. Tum etiam quia lux in instanti diffunditur a luminoso, et in instanti desinit absente luminoso. Non apparet autem quomodo in unico instanti possit generari, aut corrumpi corpus tam late diffusum, quod unico instanti a cœlo usque ad terram extenditur.

IV. Quare lux est qualitas corporalis, et sensibilis habens esse reale et non solum intentionale, et non habet contrarium, dependetque in fieri, et conservari a luminoso: hæc omnia declarant naturam lucis. Dicitur qualitas, quia est forma efficiens subjectum, non forma substantialis, alioquin quando diffunditur per aerem, vel aliud diaphanum corrumpet formam aeris, vel essent duæ formæ substantiales in eadem materia. Neque est quantitas, alias vel divideret quantitatem diaphani, vel essent duæ quantitates penetratæ in eodem loco. Neque est relatio prædicamentalis, quia lux non est ad alterum, sed habet effectum absolutum in subjecto, non minus quam color, nempe reddere illud lucidum et visibile, ergo est qualitas. Habet esse reale, et non intentionale tantum. Esse reale dicitur; uno modo ut opponitur enti rationis, seu nihilo: et sic lux habet esse reale, quia habet effectus reales, et sensibiles, quia videtur realiter a visu. Alio modo dicitur reale, ut est idem quod ratum, et firmum, et sic opponitur rei non permanenti, sed transeunter duranti, aut intentionali modo se habenti quia non firmatur, neque habet radicem in subjecto, sicut colores transeunt per aerem ad ocu-

lum in speciebus. Et sic cum lux habeat modum rei transeuntis, quia dependet in fieri, et conservari a luminoso, videtur aliquibus quod tantum habet esse intentionale et per modum transeuntis. Sed hoc est falsum, quia videmus lucem habere esse permanentem, tum in ipso luminoso, ubi permanenter existit tamquam propria passio: tum in re illuminata, ubi permanenter existit dependenter a luminoso, et aliquos effectus permanentes, et naturales causat, sicut calorem, aut alias virtutes, dependentia autem in fieri, et conservari non tollit permanentiam rei: omnes enim creaturæ sic dependent a Deo, et tamen multæ sunt permanentes. Habet tamen etiam aliquos effectus intentionales, quatenus reddit colores ultimo visibiles, et causat species intentionales usque ad visum.

V. Dicitur lux non habere contrarium, quia videmus lucem non expelli nisi per tenebras, quæ sunt privatio quædam; hoc autem ideo est, quia lux formaliter est qualitas corporis cœlestis cui non convenit habere qualitates contrarias, quia non est generabile neque corruptibile. Denique, dependet in fieri, et conservari a luminoso, quia videmus quod absente luminoso in instanti desinit lux, ergo dependet in conservari a præsentia illius etiam in unico instanti. Cur autem aliquæ qualitates non debeant in conservari a suis agentibus, sicut calor ab igne, aliæ autem debeant, sicut lumen aeris a sole, rationem tradit D. Thomas infra quæst. cix, art. i, quia aliquæ qualitates sunt quæ communicantur subjecto habendo aliquam radicem permanentiæ in illo, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ perfectæ, vel imperfectæ: aliæ vero communicantur subjecto sine aliqua radice in ipso subjecto, neque ex parte formæ, ne-

que ex parte materiæ. Qualitates primi generis dependent in fieri ab agente, quia ab ipso dimanant, sed non in conservari, quia retinent aliquam radicem, et inclinationem ex parte subjecti in quo sunt, et perfecte habent radicem in subjecto, ea quæ consequuntur ex parte formæ, ut accidentia propria, vel inseparabilia. Sed quia materia prima etiam habet inclinationem ad alias formas et consequenter ad accidentia disponentia ad illas, ideo licet talia accidentia sint extranea a composito, vel a forma existente in materia, tamen conservari possunt in absentia agentis, quia sunt in materia habente inclinationem, et radicem ad talia accidentia sicut et ad formas ad quas disponant. Et hac ratione calor, frigus, et reliqua accidentia disponentia ad generationem vel corruptionem formarum conservantur, in subjecto etiam in absentia agentis, a quo dimanant in fieri. At vero qualitates secundi generis, quæ non habent aliquam radicem in subjecto cui communicantur, sicut accidentia quæ non disponunt materiam ad generationem, vel corruptionem formarum, nec sunt proprietates, aut accidentia inseparabilia formæ, dependent in suo conservari ab agente, quia aliam radicem non habent in subjecto sicut lux in aere, et gratia in anima. Et hæc ratio extenditur ad omnes illos effectus, qui ipsum esse, et radicem essendi, et quidquid sunt participant ab agente sicut creaturæ a Deo, et motus rerum inferiorum a motibus cœlorum. Hæc enim durare non possunt in cessatione agentis.

VI. Quod si instes: In impulsu, qui est qualitas non ordinata ad generationem, et corruptionem substantialem et tamen durat aliquantulum in absentia agentis, seu imprimen-
tis impulsus; et similiter aliquæ

virtutes impressæ a cœlo aliquibus mixtis, ut virtus attrahendi in magnetem, et splendor auri, vel gemmarum, quæ durare possunt etiam cessante influxu cœli, et tamen non ordinantur ad generationem, vel corruptionem substantialem, neque habent radicem in illis mixtis, sed a cœlo derivantur, respondetur impulsus posse esse dispositionem saltem remotam ad corruptionem substantialem rei impulsæ, quia de se extrahere, et removere potest rem a suo centro, et loco conservativo, quod utique exponit rem impulsam corruptioni contrariorum. Et similiter si sit impulsus vehemens nimis immutat rem a sua dispositione naturali, non quidem per præcisum motum localem, sed quatenus nimis subtilizat aerem, v. g. ita ut etiam aliquando incendat, aut etiam humores ipsos commovendo, aut alio simili modo. De virtutibus autem impressis a cœlo ipsis mixtis, non constat nobis, an cessarent cessante omni influxu cœli, sicut erit post diem iudicii. Dato tamen quod non cessabunt, ideo est quia illæ virtutes sunt accidentia inseparabilia talium mixtorum, eo quod formæ substantiales illorum ex sua natura petunt illam contemperationem et impressionem cœlestem, ideoque, manente tali forma manet etiam in absentia agentis illa contemperatio, et virtus semel communicata. Plura de natura lucis vide in libris de anima quæstione vii.

PRIMA LUCIS PRODUCTIO FUIT IN
CORPORE SOLARI.

VII. Sequitur difficillima, et longa quæstio inter theologos de illa primæ lucis productione, quo modo et in quo subjecto fuerit facta. Nam ut inquit S. Augustinus xi de civitate, cap. vii: « Qualis illa sit lux, et

quo alternante motu, qualemque vesperam et mane fecerit, remotum est a sensibus nostris. » Et idem docet primo de Genesi ad litteram capite xi, ubi multas variasque affert de illa luce expositiones.

VIII. Igitur opus distinctionis incepit Deus a formatione lucis, et segregatione inter lucem, et tenebras, tum quia est qualitas, et pulchritudo corporis cœlestis, unde conveniens erat ut informitas mundi inciperet removeri, et tolli a primo corpore, quod est cœlum: tum etiam quia lux est qualitas communicabilis istis inferioribus, et in ea communicant superiora inferioribus, unde illius formatio erat decus totius mundi: tum denique quia sine luce non est dies, unde oportuit in ipsa prima die fieri lucem, si vere dies fuit.

IX. Quæ ergo lux illa fuerit, et in quo subjecto, valde difficile est explicare. Et videtur id reduci ad tres præcipuas sententias. Prima, quod lux non fuit facta in aliquo corpore luminoso, ut ex illo luminaret mundum, sed quod Deus immediate per se ipsum sine aliquo corpore luminoso illuminabat ipsum aerem, et reliquas partes mundi. Secunda sententia, ponit illam lucem factam fuisse in aliquo corpore luminoso, sed dicit tale corpus non fuisse cœleste, sed elementale, nempe quamdam nubem lucidam. Sed dividuntur in explicando quid factum sit de illa nube. Nam quidam dicunt desiisse, et resolutam fuisse in præjacentem materiam creato sole. Alii dicunt adhuc illam nubem remanere, sed ita esse conjunctam, seu subjectam soli, ut non possit ab illo discerni. Alii vero dicunt ex illa nube formatum fuisse corpus solis quarta die. Tertia denique sententia affirmat illam lucem factam fuisse in aliquo corpore cœlesti, nempe in ipsomet sole, qui tunc incæpit lu-

cere, et illuminare, quando Deus dixit: *Fiat lux*. Speciales tamen virtutes circa temporum variationem, et circa alios effectus accepit illa lux quarta die quando dicuntur facta fuisse luminaria, ita quod in prima die facta est lux solis, solum secundum rationem communem lucis ut opponitur nocti, et tenebris, ab eisque discernitur. Quarta autem die formatus est sol secundum rationem luminaris, non solum ut opponitur tenebris et nocti, sed etiam alteri luci, nempe luci lunæ et stellarum.

X. Prima sententia nullo modo est admittenda, quia illuminatio facta immediate a Deo sine causa secunda, non est secundum naturas rerum, cum excludat illas, sed supra omnem naturam, et omnem causam secundam, quod quidem Deus potest facere secundum absolutam potentiam, sed non secundum naturas rerum. In prima autem rerum institutione, ut sæpe dicit Augustinus, non est ponendum id, quod creatoris potentia facere potest, sed quod naturæ, et institutioni rerum convenit. Itaque in illa prima rerum institutione, et formatione id factum est a Deo, quod pertinebat ad hujus universi compositionem et connaturalem statum. Facere autem aliquos effectus, qui per causas secundas connaturaliter fiunt sine ipsis, non est facere naturas rerum, nec id quod pertinet ad constitutionem universi, sed facere aliquod miraculum, et aliquid supra omnem naturam; quod utique ad creationem, et formationem ipsius naturæ non pertinet. Si ergo Deus tunc illuminaret mundum se solo sine aliqua causa creata, non esset naturalis formatio lucis, sicut postulat ipsum universum, sed supernaturalis, et miraculosa actio illuminandi.

XI. Secunda sententia etiam rejicienda est, neque enim potuit ali-

quod corpus elementale esse subjectum illius lucis; si enim esset aliquod corpus elementale vel esset ignis, vel aer, aut aliquid in aere formatum. Nam de aqua, et de terra nullus dubitat, cum sint in loco valde inferiori. Lux autem illa de sursum radiabat quia faciebat diem, et noctem quod non fit nisi per lucem desuper lucentem. In igne ergo non fuit illa lux, quia ignis qui est super elementum aeris nimis rarus, et sic non illuminat illa inferiora, ut ipsa experientia videmus etiam noctibus tenebrosissimis. Quod si dicatur tunc fuisse illum ignem addensatum a Deo, et sic potuisse lucere, non satisfacit. Primo, quia hoc est præter statum naturalem illius ignis: non est autem dicendum Deum incepisse sua opera a statu non naturali. Secundo, quia sic nullæ essent tenebræ, nec posset verificari, quod Deus distinxit lucem a tenebris, quia sphaera ignis circumdat totum aerem, et totam terram. Unde si sphaera ignem addensata est ut luceret, circumdabat luce sua totum aerem, et totam terram, et sic quantumcumque moveretur ille ignis, semper erat lux in toto aere, et in tota terra. Nisi dicatur quod Deus solum aliquam partem ignis addensavit, et reliquam reliquit in sua raritate, quod quidem sine fundamento dicitur, et solum divinando. Sequuntur tamen inde alia inconvenientia, quæ statim enumerabimus excludendo ab illa luce nubem formatam in aere. Tertio, quia si addensaretur ignis, redderetur vehementissime calidus, inflammaretque aerem, et torreret terram quando discooperata est: quia tam vastum elementum sicut est sphaera ignis quæ totum aerem circumdat, si ita addensaretur sicut noster ignis, ut posset lucere, et illuminare, sine dubio magnum calorem imprimeret toti aeri,

et corporibus subjectis sicut aqua dum operiebat terram, valde humectabat illam. Unde quando tertia die terra discooperata est cum herbis, et plantis sine dubio tantus ignis torreret illam. Quarto, quia si lux illa posita est in sphaera ignis, ut tunc luceret, modo autem non lucet, neque post luminaria facta quarta die, ergo fecit Deus illam lucem ut statim desineret, et non amplius luceret. Est autem magnum inconueniens, quod in prima rerum institutione Deus faceret aliquid ad destruendum et non ad perseverandum ut bene notat S. Thomas hic articulo I ad II, præsertim cum tam facile posset formare illam lucem in ipso sole, qui connaturaliter facit diem, et noctem. Neque enim est decens facere per subrogationem quod potest fieri per proprietatem in ipsa prima compositione totius universi. Et denique juvant inconvenientia statim referenda pro elemento aeris.

XII. Quod vero illa lux prima non fuerit facta in elemento aeris, vel in aliquo corpore illi adjuncto, probatur, quia elementum aeris in sua natura est valde rarum, nec potest illuminare, et ejaculari radios, quod solum fit a corpore denso, sed solum recipere lumen tamquam diaphanum. Si autem aer addensetur, et fiat nubes, posset quidem illa reddi lucida, et illuminare, sicque factam fuisse illam lucem docet secunda sententia: tamen impossibile est hoc ita contigisse in illa prima formatione lucis. Primo quidem, quia nubes illa non potuit fieri in secunda regione aeris, quia tunc nondum erat talis secunda regio, nondum enim fecerat Deus firmamentum quod divideret aquas ab aquis, quod factum est secunda die. Sed tunc secunda regio aeris operiebatur aquis, ut sequenti quæstione ostendetur, imo aliqui putant longe altiores fuisse aquas: lux autem illa non erat re-

condita intra aquas, sed supra; illuminavit enim tenebras quæ erant super faciem abyssi. Solum ergo poterat illa nubes lucida occupare tertiam regionem aeris, quæ propter caliditatem suam, et vicinitatem ad sphaeram ignis non potest coagulare nubes, nec modo ibi formantur, sed regio illa est super omnes nubes. Et sic nubes illa tunc debuit fieri contra, vel supra omnem naturam. Et sic sequitur inconueniens supra illatum, quod inciperet Deus in prima rerum institutione a violentia, vel a miraculo, non ab eo quod est naturale rebus ipsis.

XIII. Secundo, sequitur aliud majus inconueniens, videlicet quia non posset illa nubes illuminare totum universum, sed major pars cœli maneret sicut antea in tenebris. Et probatur, quia illa nubes erat corpus valde parvum respectu illuminationis totius cœli, si quidem non poterat occupare, nisi parvam illam partem tertiæ regionis aeris, et fortasse non totam, ne tangeret ipsas aquas quæ usque ad tertiam regionem elevabantur, nec poterat cingere totam sphaeram aeris, sic enim non esset distinctio inter lucem, et tenebras, quia ex omni parte esset lux, sed ad summum poterat occupare unum hemisphaerium aeris, et fortasse non totum ut posset motu suo successivo facere ortum, et occasum lucis, diem et noctem. Unde tota illa nubes quantumcumque consideretur sic extensa in aere non posset esse ita magna sicut una stella firmamenti, non dico primæ magnitudinis, sed neque quintæ, aut sextæ magnitudinis, quæ est major tota terra. Illa autem nubes sic in aere posita longe minor esset tota terra: ergo non posset ejaculari lucem usque ad octavam, vel nonam sphaeram in tanta plenitudine quod posset facere ibi diem, et illuminare illas sphaeras, sicut fit in lu-